

2/90

IDIBVS IVNIIS

MCMXC



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIUS

RVMOR VARIUS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADIS
editur.

RVMOR VARIUS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 15.--
In Germania	DM 24.--
In Austria	ÖS 170.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 22.--
In terris trans	
maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

C. Meier-Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIUS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIUS P7-642.719.0

RVMOR VARIUS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIUS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 15.--
Deutschland	DM 24.--
Oesterreich	ÖS 170.--
übriges Europa	Fr. 22.--
Uebersee	US 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

C. Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIUS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIUS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri haec legentes!

Aestate praeterita, cum in urbe pulcherrima Hispanica nomine Granada, quae in montibus 'Sierra Nevada' appellatis sita est et in qua illud unicum monumentum celeberrimum artis Arabicae, quod 'Alhambra' dicitur, urbi imminet, tres hebdomadas felicissimas degerem, pluries cottidie flumen 'Genil' mihi transgrediendum erat, cum ab illo vico, quo habitabam, in mediam urbem migrabam. Genil est flumen mediocris magnitudinis, sed illo tempore de flumine aestu aestivali exsiccato nihil nisi rivulus vix visibilis supererat.

Quare id narrem, forsitan rogetis. Similis mihi videtur alveo illius fluminis RUMOR VARIUS: Symbolis ad publicandum idoneis revera non abundamus, contra: Periculum est, ne fons RUMORIS VARIII siccetur symbolarum inopiā.

Itaque, cari legentes, peto, ut calamos corripatis et nobis symbolas mittatis, quasi redactionem inundetis operibus vestris. Pro memoria repeto, quae iam scitis: Nolite timere menda grammatica in symbolis vestris. Quae ante publicandum emendabimus. Nolite igitur cunctari, nolite nos deserere, mementote et aliorum legentium et RUMORIS VARIII. Non modo legentes, sed etiam scribentes sitis! Gratiae maximae vobis agendaerunt!

Spero - ut revertar ad principium huius praefationis - a vobis in redactionem multas symbolas missum iri, sine quibus RUMOR VARIUS non aequae florere poterit ac adhuc floruit. Sit RUMOR VARIUS denuo similis illi flumini 'Genil' in autumno, cum imbribus cadentibus multam aquam secum ducit.

Iucundissimae sint vobis feriae!

Valete!


Daniel Weissmann

Litterae ad editores

Quomodo acciderit, ut hanc epistulam, quae sequetur, acciperemus, audite: Quia suam versionem cantus "Yesterday", Latine "Hesternum", mutaveramus (vide RUMOREM VARIUM 5+6/89), auctrix domina Hanna Haas questa erat epistula Theodisce scripta. Tum in RUMORE VARIO 1/90 versionem originalem publicavimus. Per iocum Dominae Haas scripsi nobis valde gaudio fuisse, si suam querelam Latine composisset. Brevi tempore post domina Haas hanc epistulam misit, ut scripsit, "non, ut vos laedam, sed ut responsum sale et aceto habeatis." Iam legite et gaudete modo vero Plautico!

Egregii editores!

Fustibus verberetur ille mastigia, in crucem agatur ille carnufex, in pistrinam mittatur ille nescioquis cantandi imperitissimus, qui arbitratus est meum opus poeticissimum sibi emendandum esse. Ego pol illum, si vivam, ulciscar probe!

Primum satis constat illi aures deesse. Deinde invenustissimus plane est, cui non subito illud Catulli in mentem veniat "Nunc iam illa non vult, tu quoque, impotens, noli." Tum illiteratissimus omnino est, qui nesciat carmina poetica non vocabulis singulis congruentibus, sed secundum rem et animum esse reddenda. Barbaricissimus denique inscitissimusque est, qui non moveatur modo et numero carminis mei vel carminis Britannicorum quattuor illorum!

Perii hercle, disperii! Carmen meum, quod summa arte summoque amore composui, truncum, correptum, commaculatum, commutilatum est! Non modo numerus et versus nequiores contabuerunt, verum etiam me artis grammaticae parum peritam esse quis non putet?

Idcirco peto atque postulo, ut carmen re vera meum iterum reprimatis, ne quis posthac candidorum lectorum mirans secum dicat: "Quid sibi vult illud carmen Britannicum in linguam quasi Latinam versum? Neque carmen neque Latinum est."

Hanna Haas-Scheibler

Facete lepideque dicta

Susanna "Matercula mea", sussurrat, "Thomas mihi hodie dixit me esse creaturam toto in orbe longe suavissimam. Nonne eum hoc vespere invitabimus? - Ad quae mater abnuens: "Non assentior. An vis eum non iam credere, quod dixerit?"

Obtulit quondam mercator quidam autocinetorum iam usurpatorum vehiculum clienti verbis his: "Fidem habeas, domine maxime honorabilis, in vehicula nostra. Stamus enim post ea. - "Hoc non miror. Certe post ea stas, domine, quae protrudas (1)."

"Ne studia mea", uxor ingemescit, "quidem perfeci, quod tibi nubere volui. Cur nunc mihi tantopere maledicis?" Tunc maritus: "Te studiis artis coquendi incubuisse pro certo habeo."

In civitate quadam Americae Latinae (quae dicitur) suffragiis peractis factio dictatoris victoriam 98% (nonagenarum octonarum centesimarum) abstulerat. Quae expertus Churchill(ius), primus Britanniae administer: "Quod miraculum! Homillum istum tantummodo gregem minimum sequi constat."

Aristippum, philosophum clarissimum, olim vir nuper dives factus, num paratus esset ad filium suum docendum, interrogavit. Tunc Aristippus mille drachmas poposcit. Dives: "Pro immortales! Tanta pecuniae summa servum mihi acquirere potero!" Respondit Aristippus: "Quod si feceris, fatue, immo duos servos habebis, servum enim, quem emeris, atque filium tuum, qui nihil didicerit!"

* * *

"Nil aliud", medicus aegroti, "te servabit nisi hoc unum: Statim in ferias proficiscere!" Quibus dictis aegrotus: "Valde doleo, quod hoc fieri omnino non poterit: Emi enim domum, qua ferias agerem!"

"Insanio", puella amicae dixit, "propter fratrem tuum. Amicis enim iste affirmavit cuivis licere me impune osculari. Tunc ab eo flagitavi, ut aut se excusaret aut tempta-

ret, utrum, quod dixisset, verum esset an non." - "Et quid accidit? Num temptavit?" - "Horribile dictu: Se excusavit!"

Cliens quidam pharmacopolium intrat verbis his: "Quis, hercle, vestrum, uxori meae gluten universale (2) pro pasta dentaria (3) vendidit?" Tacentibus omnibus tandem tiro confitetur: "Ego fui. Ego errore inexcusabili lapsum illum commisi. Ignoscas mihi, quaeso, domine maxime honorabilis." Ad quae cliens tironi quinque francos Helveticos offerens: "Gratias tibi ago maximas, mi puer!"

Olim statio radiophonica Detroitensis (4) Americana virum quendam absconditum quaesivit nuntians: "Sine ullis vestigiis relictis e duobus iam diebus ex oculis dilapsus est Eduardus Guarnardus. Qui magnitudine centum septuaginta quinque centimetrorum est, capillos semper inordinatos gerit, simiae similis atque debilis esse videtur. Sexaginta annos natus est, sed aetate iam provecior esse videtur." Addidit autem statio radiophonica: "Nescimus, utrum recte descriperimus dominum Guarnardum an non, sed uxor eius eum ita descripsit."

Locutus est quondam diurnarius (5) de vita sua: "Pulcherri-
ma atque magnificissima vitae meae momenta degi in brachiis uxoris viri alterius." Tunc auditores aegre ferentes obmuerunt. Diurnarius autem perrexit: "... in brachiis matris meae!"

"En, Quinte, cur amicam tuam musculum appellas?" - "Quod semper marsupium (6) meum arrodit."

* * *

Londinum Edinburgio scotus vetus tramine ferriviario vehitur semper semperque tesseras (7) emens validas usque ad stationem proximam. Tessera tertia empta vehicularius (8) miratur: "Cur non unam tesseram usque Londinum validam emis, domine?" Tunc is: "Medicum specialistam cardiacum (9) aditurus sum neque scio, utrum vivus Londinum perveniam an non."

Acervatis permultis nucibus pueri duo post coemeterii murum considunt, ut nuces iuste inter se partiantur. Dum numerant "Una mihi, altera tibi", duae nuces sub saepe in coemete-

rium volvuntur. Eodem tempore iuvenis praeteriens atque duas voces numerantes audiens horrore imbutus aufugit. Cui senex forte occurrens: "Heus", ait, "quid tibi est?" - "O, horribile dictu: Post coemeterii murum Deus et diabolus animas inter se partiuntur." Ad quae senex: "Stulte, hoc verum esse credere omnino non possum. Aut somniasti aut vini plenus es! Sed transeamus et videamus, quid acciderit!"

Muro coemeterii appropinquantes vocem audiunt dicentem: "Una mihi, altera tibi" alteramque vocem respondentem: "Bene, restant tantummodo duae ante murum. Quas cum partiti erimus, uterque totidem habebit", senex iuvene celerius oppidum petit.

Martin Meier

1 protrudo, -trusi, -trusum, -trudere	anschieben
2 gluten universale, -tinis -is n	Alleskleber
3 pasta dentaria, -ae -ae f	Zahnpasta
4 Detroitum, -i m	Detroit
5 diurnarius, -i m	Journalist
6 marsupium, -i n	(h): Portemonnaie
7 tessera, -ae f	Fahrkarte
8 vehicularius, -i m	Schaffner
9 specialista cardiacus, -ae -i	Herzspezialist



De rege aureo

Aliquando pastor quidam in silva densa vitam honestam agebat. Cum uxore filiisque sex parvam casam habitabat. Puer minimus natu "aureus" appellabatur, nam coma eius colore aureo erat.

Cum pastoris liberi per silvam ambulabant, puer aureus eos semper anteibat. Capelli eius enim perlucidi in silvarum tenebris pro luce habebantur. Quodam die vero liberi ludos parantes reditūs obliti sunt. Et iam lunae ortus factus est. Tum inter abietes mulier forma eximia videtur, quae

nutu capitis puerum aureum alliciens carmen singulare de ave candida, de rosa aurea et de regia imo mari sita cantat. Tum mulier e conspectu liberorum abit et nox obscura fit. Liberi metu commoti magnis clamoribus discurrunt. Puer aureus autem per quattuor noctes diesque per silvam errat. Neque fratres neque parentes reperit. Denique ad pratum magnum pervenit. Quod est domicilium cuiusdam viri avium capiendarum peritus. Vir puerum aureum plagis suis captat et: "Noli timere", inquit, "velim te docere, quo modo aves silvae captari possint." Et puer aureus proposito hoc valde delectatur. Paucis diebus post puer ipse avem pulcherrimam colore candido captat. Pueri magister autem: "Male fecisti", ait, "nam cum diabolo agis. Abi statim domicilio meo!" Puer aureus fere attonitus in viam se dat et denuo per silvas errat. Tertio die post ad lucum magnum pervenit. Ibi hortum pulchrum videt, cuius flores valde admiratur. Tum vir flores colens: "Utinam mecum maneat, bono ministro enim egeo!" Et puer hoc proposito valde delectatur. Paucis diebus post vir: "I in silvam", inquit, "et aliquam rosam mihi apporta, nam rosarum cultor sum." Et puer aureus paulo post aliquam rosam singulari colore apportat. Est enim rosa colore aureo. Vir autem: "Abi statim horto meo", inquit, "nam rosae diaboli sunt!" et puer tristis iterum in viam se dat. Silva autem semper lucidior fit. Et puer ad litus maris pervenit. Videt in litore piscatores scapham conscendentes. Qui puerum conspicientes exclamant: "Veni nobiscum in altum. Magnam copiam piscium captaturi sumus!" Et puer bene contentus naviculam conscendit. Per multas horas in mari navigant. Pisces autem non captant. Tum puer aureus rei imperitus rete in medium mare iacit et coronam auream captat. Piscatores vero: "Fortunae filius es", inquiunt, "nam rex noster eris. Olim rex huius regionis aetate confectus coronam in undas demersit. Heredes ei sane non erant. Regnum autem eius erit, qui coronam invenerit." Et piscatores puerum regem salutant. Fama coronae repertae magna cum celeritate in ultimas terras fertur. Et terra marique puer aureus rex salutatur.

(Secundum fabulam domini Bechstein)


Barbara Maier

Aenigma

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

1. citus
2. versus, quos e.g. Propertius vel Ovidius poeta composuerunt
3. praecepta publica (nom. pl.)
4. pauper (f.)
5. illusae

Daniel Weissmann



Facete lepideque dicta

Iudex causam agens accusatum inclamat: "Non dubium est, quin te noverim! Saepius enim mihi occurristi. Quotiens iam condemnatus es adhuc?" Tum accusatus: "Numquam, domine iudex. Sed ostiarius sum in lupanario prope forum sito."

Causidicus causa peracta clienti scelesto suo nuntium telegraphicum mittit: "Res iusta vicit." Tres horas post responsum clientis accipit: "Statim appellationem (1) interpone!"

Aliquis ad custodem publicum (2): "Salve, domine custos. Dic mihi, iam diu interrogare te volui: Licetne mihi custodem publicum bovem stultum appellare?" Custos publicus

miratus caput concutiens: "Nullo modo, scilicet. Ea esset iniuria magistratūs." "Bene, licetne mihi autem bovem stultum dominum custodem dicere?" "Certe, si tibi placet." - "Optime: Ergo, vale, domine custos!"

Iudex ad quendam custodem publicum, qui ab accusato contumeliis affectus est (3): "Possitne accidisse, ut verba "carnifex" et "furcifer" et "fatuus completus" reus sine mala intentione quasi animi motu perturbatus dixerit?" Tum custos publicus: "Nequaquam puto. Priusquam enim ea dixerit, me diligentissime spectabat."

Defensione accusati peracta iudex ad patronum: "Si recte te comprehendi, domine patrone, velis me accusatum sanctificare (4)?"

Aegrotus ad psychiatrum: "Me Anglice somnari non mihi molestum est. Sed maxime me subtituli Turci perturbant."

Medicus assistens primum partum adiuvat. Omnibus bene peractis medicus superior, rector nosocomii: "Optime fecisti", ait, " una re excepta: plaga levis in podicem neonato danda est, non matri."

Medicus ad aegrotum: "Quid de tua insomnia? Meumne consilium observavisti et ante dormiendum computavisti?" Aegrotus: "Feci, domine doctor. Computavi usque ad numerum 24534." - "Et tum dormivisti?" - "Non ita, tum mihi surgendum erat."

Famulus ad dominum: "Comes (5), medicus adest te visitatum." Tum comes: "Nolo eum accipere. Dic ei me aegrotum esse."

Medicus media nocte ad aegrotum vocatur. Exploratione medica exacta rogat: "Dic mihi, iam testamentum tuum composuisti?" Aegrotus: " Nondum composui. Adeo aegrotus sum?" Medicus: "Arcesse statim scribam publicum et cognatos et propinquos tuos." - "Estne causa tam gravis, re vera moriturus sum?" - "Nequaquam, sed mihi displicet solum esse, qui hac nocte sine causa gravi et iusta lecto excitatus sim."

Octo noctes diesque Lucius dormire nequivit. Summa desperatione moti propinqui hypnotistam celeberrimum accersunt.

Qui oculos in vultu Lucii defigit iterum iterumque dicens: "Dormis, Luci. Omnia circum te in nebulas diffunduntur, musica dulcis efficit, ut dormias. Dormis altissime." Et re vera: Lucius dormit. Filius eius dixit ad hypnotistam: "Miraculum effecisti", et liberali praemio eum donat. Vix hypnotista egresso portaque clausa Lucius caute oculos aperit et parva voce susurrit: "Pst. Abiitne tandem ille demens?"

In curru electrico (6) hominum referto aliquis ad alium, qui pedem eius suo pede premit: "Simius fatuus, nonne potes pedem tuum in alio loco ponere?" Tum alius aequa mente: "Certe possim, sed tum per quindecim dies sedere non poteris."

Alter: "Quid de nostro praesidente civitatis cogitas?" Alter: "Est homo, quo veriore non novi. Et speciem furciferi habet et furcifer est."

Custos publicus autoraedarium, qui semaphoro (7) rubro neglecto quadrivium transvehitur, deprehendit et eum interrogat: "Nonne semaphorum vidisti?" Tum autoraedarius: "Semaphorum quidem vidi, domine custos, te autem non vidi."

Daniel Weissmann

1 appellatio,-onis f	Berufung, Einspruch/appell/ap-peal/apelación
2 custos publicus, -is ,-i	Polizist/policier/policeman/policía
3 contumeliis afficere	beschimpfen/insulter/to in-sult/insultar
4 sanctificare	heiligsprechen/canoniser/to canonize/canonizar
5 comes,-itis	Graf/compte/count/conde
6 currus electricus,-us,-i	Strassenbahn/tramway/tranvía
7 semaphorum,-i n	Ampel/feux/traffic lights/semáforo



49. Morsāci [Morschach] in Helvētiā, qui locus saluberrimus ali-
quibus centum quinquaginta metris supra lacum «Quattuor Pago-
rum» situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt
maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes
circumiacentes praebetur. 22.-28.7.1990.
50. Vestendēse [Westende] in Belgicā (ad litus maris harenōsum),
ubi pernoctatio victusque in hospitio communi, relative par-
vo constant: 10.-17.8.1990.

Sunt autem seminaria sermonis Latini et adhibendi et exercendi
et ampliandi, quae institutio quaeve exercitationes bonā Latini-
tate antiq̄a nituntur et neologismis, quantum necessarium fuerit,
optime comprobatis (secundum antiquitatis normas vere Latinas).
His seminariis Dr P. C. Eichenseer denuo moderabitur.

Antemeridianis horis (ternis) fient colloquiorum exercitationes
et explicationes verborum (recentiorum) et modorum Latine cogi-
tandi et disceptationes. Disseretur etiam, quā ratione Latinita-
ti bene conveniente, antiqua recentioraque satis congruenter in-
ter se coniungantur resque recentissimae satis Latine verbis
(circumspecte cōditis vel condendis) exprimantur quidve valeat
anālōgīā.

Postmeridianis horis (binis) fient exercitationes grammaticales
et repetitiones materiaram ante meridiem propositarum vel occa-
siones praebebuntur propositionum et disputationum vel exercitio-
rum Latine docendi, quae res agetur etiam in circulis minoribus
(diversis), ubi singulis frequentior occasio sit Latine loquendi.

Denique cottidie ab hōrā duodēvicēsīmā, id est: post institutio-
nem postmeridianam, per quadrantem horae phōnētīcē Latina tractā-
bitur, cuius tractationis participatio omnino libera est.

Denique pro ipsa institutione unius septimanae 120 marcae Germa-
nicae (occidentales) solvendae sunt, quae pecuniae summa mittat-
ur ad hanc sedem nummariam: VOX LATINA
18353-661
Postgiroamt Saarbrücken
BLZ 590 100 66 (BR Deutschland)

Mōrsācēnsē seminarium Helveticum qui participaturi sunt, mittant
epistulas chartulasque interrogatorias nominaque dent definitive,
si tardissime, sex septimanis ante initium,
ad Ericam Roth

Aeschistr. 6 (numerus telephonicus:
CH-3110 Münsingen 031/920823)

Vēstēndēnsē seminarium Belgicum qui volunt participare ratione
epistulari vel telephonicā adeant satis mature

D.rem Gaium Licoppe Bruxellensem:
M. Docteur Guy Licoppe
Avenue de Tervueren, 76 (numerus telephonicus:
B-1040 Bruxelles 4 (02) 735 04 08)

SOCIETAS LATINA

LATINE LOQUI – ROMANE COQUERE

LATINITATEM INTER NATIONES

Secunda Septimana Latina Amoeneburgensis

moderatores	: Mechtildis Hofmann et Robertus Maier
quando ?	: a die 12 ^o usque ad diem 18 ^o mensis Augusti anno 1990 ^o
ubi ?	: Bildungszentrum Johannes-Haus et gymnasium Amoeneburgense, D-3572 Amöneburg (Amoenebur- gum apud Marburgum)
pretium	: 300.- DM pro victu et habitatione in domo, cui nomen "Johannes-Haus" (maximus numerus participum erit 25), 90.- DM pro institutione (includitur pretium pro duabus cenis Romanis' et pro excursione)

Inscriptiones ad hanc Septimanam Latinam petuntur usque ad diem
15^o mensis Iunii ad:

Robert Maier
Dresdener Straße 10
D-6070 Langen

Vos, discipuli, studentes, magistri sermonisque Latini amatores
ad secundam Septimanam Latinam Amoeneburgensem invitamus. Discite
Latine loqui. Cognoscite homines ex diversis nationibus! Studia
Latina vestra fructus ferent. Hoc inter colloquia, ludos, convi-
via experiemini et exercebitis. Novum aditum ad cultum Romanum
atque Europaeum demonstrare volumus. Sermo Latinus quam ad lit-
teras per saecula exprimendas tam in vita cotidiana adhuc valet.
Etiam res coquinarias Romanas colemus, ut iucundam partem vitae
Romanae antiquae cognoscamus. Apportate etiam, si vobis placet,
instrumenta musica et photomachinas vestras!
Si plus scire voletis, telephona ad:
Robert Maier, tel. 06103-71652

Vos salutant

Mechtildis Hofmann et Robertus Maier

De viro praeclaro nomine Boettger

Ineunte saeculo decimo octavo apothecarius nomine Boettger in urbe Berolini vitam singularem degebat. Putabat enim omnia metalla in aurum mutari posse. Quibus de rebus palam et libentissime loqui solebat. Itaque Prussiae rex de experienciis viri illius certior factus est. Statim hominem comprehendi iubet, qui artem occultam pro rege et civitate exerceat.

Boettger autem libertatis amans in Saxiam fugere potest. Electori regionis operam suam offert. Qui de viro diffidens "aurificem" in vincula duci iubet. Carceris custos autem aequae vir singulari ingenio experientias occultas facere solet. In animo habet vasa fictiliae maximae tenuitatis conficere. Boettger custode familiariter utitur. Mox participes et adiutor eius est. Aliquando Boettger pulverem ad comam curandam apportari iusserat. Mercator improbus autem farinae loco terram quandam candidam e locis proximis apportavit. Boettger hac terra ad novum vas conficiendum utitur. Et vas confectum maximae pulchritudinis est. Paulo post elector Saxiae primam officinam condit. Boettger officinae administrator fit.

Barbara Maier



De deis naufragis

Personae

Iuppiter	peregrini naufragi
Mercurius	
Iuno	Iovis uxor
Gallus	vilicus
Lucius	Galli filius
Lydus	Galli servus
Paulus	piscator
Tulliola	Pauli filia

Scaena I

Mercurius: Pro Iuppiter, nolo queri officia mea. Nonnumquam autem difficile est tibi servire, domine, nam res miras inauditasque excogitas. Cur partes naufragorum nunc agimus?

Iuppiter: Tace, Mercuri, non decet de Iovis consiliis dubitare. Meum est animos mortalium cognoscere, probos praemiis, improbos poenis afficere. Fidem hominum experiri in animo habeo.

Mercurius: Bene scio, domine; spero quidem mortales immortalitate dignos fore. Timeo autem, ne...

Iuppiter: Tace, sodes, video homunculum quendam appropinquare. Partes nostras bene agamus.

Lydus : (cantat) Servus Galli sum
 dum, dum,
 Non amo dominum
 dum, dum,
 Qui clamitat,
 Vituperat,,
 Qui castigat
 et verberat
 dum, dum,
 O me miserum
 dum, dum.

(peregrinos conspiciens) Quid video? Amabo, non sunt homines, sunt cornices quaedam, quae agros domini mei supervolant. Sunt autem cornices miserrimae.

Iuppiter: (ad Mercurium) Servus procax magna loquitur.
(ad servum) Noli ludere de nobis, serve, nam naufragi infelices sumus. Multas res adversas tulimus. Tandem undae ventique nos ad hanc oram hospitalem tulerunt.

Lydus : Hahahae, ad hanc oram hospitalem. Erras, amice; Neptunus sane vobis non favet. Estis in agris domini mei, viri lautissimi quidem, sed avarissimi. Naufragi numquam inter amicos eius erunt.

Iuppiter : Tace, serve, non decet de aliis praeproprie iudicium dicere..

Lydus : Pulchre dixti, domine.

Gallus : Eho, Lyde, eho cucule, ubi es? Responde, flagitium hominis.

Lydus : O me felicem, ecce Gallum, dominum meum, hominem sane amabilem.

Gallus : (intrat) Di boni, quid video? Servum meum in disputatione versatum. Tu semper tuo more facis, furcifer, numquam laboras, semper per agros vagaris.

Lydus : Erras, domine, non vagor, sed peregrinis illis maximo solacio sum.

Gallus : Delicias hominis, nunc ludis tu quidem me.

Lydus : Iterum erras, optime, bona fide loquor. Incidi in hos naufragos miserrimos hospitium petentes. Ego autem hospitium tuum collaudavi et benignitatem tuam.

Gallus : Tace, nugator, visne me perdere?
(ad peregrinos) Hospitio vos accipere non possum, amici. Mihi est permagna familia, amplius centum servis - isti fatuo similibus - cottidie hospitium paro. Non laborant, non obtemperant; bibunt autem, edunt, cantant, amant, in otio languescunt.

Lydus : Belle narras.

Iuppiter : Petimus tantum a te, domine, lectum parvum, paululum lactis panisque.

Gallus : Non possum dare hospitium, optime.

Mercurius: Petimus tantum aliquem locum in stabulis prope asinos, vaccasque.

Gallus : Pro sancte Iuppiter, non possum.

Iuppiter : Quidnam tu hominis es? Mihi stomachum facis. Di te eradicent.
(tonat)

Gallus : Quid audio?

Lydus : Iuppiter tonat.

Gallus : Caelum autem serenum est. Tempestatem non video.

Lydus : Facile credo, optime, nam homines caeci saepe periculum imminens non vident.

Gallus : Nunc autem satis dictum est. Abi domum et labora! Vos autem agris meis decedite, sin aliter Molossos vobis mittam! (exit; servus eum sequitur)

Mercurius: Homo vere amabilis est, servus recte dixit.

Iuppiter : Poenam dabit, optime; suum cuique.

Mercurius: Quid autem de nobis fiet? Nox iam appropinquat et itinere fatigatus sum.

Iuppiter : Bono animo es, fidem habe mortalibus! Age, servus iam redit.

Lydus : Pst, domini, ecce me iterum. Doleo calamitate vestra. Vobisque auxilio ero. Hac in ora habitat piscator quidam, vir pauper, sed hospitalis. Vos comiter accipiet. Bene novi filiam eius, Tulliolam, nam Galli filius eam singulari amore amat ac in matrimonium ducere vult. Gallus pater autem ab his nuptiis abhorret, nam Tulliola numquam pulchre dotata erit.

Mercurius: Monstra nobis viam, amice, esurio, sitio, fessus sum de via.

Iuppiter : Age, serve, te sequimur.

Scaena II ante casam piscatoris

Tulliola : (cenam parat, cantat)

Sum Tulliola,
Piscatoris filia,
Amo Lucium,
Galli filium,
lalala.
Galli filius,
Homo pulcherrimus,
Amat Tulliolam,
Pauli filiolum,
lalala.
Sed Gallus vilicus,
Homo ditissimus,
Contemnit filiam
Pauli pauperrimam,
lalala.

Cena parata est, mi pater, discumbamus.

Paulus : Ecce me, Tulliola, valesne?
Tulliola : Valeo, carissime, valeo bene. Quid hodie egisti?
Paulus : Paucos pisces in foro vendidi, paucos nummos
accepi. Sortis tuae me miseret, Tulliola, num-
quam Lucio nubere poteris.
Tulliola : Noli macerare, mi pater, fidem habeamus superis.
Paulus : Recte dicis, optima, confugiamus ad superos.
(Iuppiter Mercuriusque sermonem hunc audiverunt)
Iuppiter : Pietas eorum mihi valde placet, placet mihi
magis puellae pulchritudo. Quem nitorem, quam
gratiam!
Mercurius: Noli oblivisci, domine, te in terram descendisse
ad perspiciendos animos mortalium, non autem ad
spectandam mulierum pulchritudinem.
Iuppiter : Haud erras, Mercuri, sed anima pulchra, quae
inest formae pulcherrimae, aspectu sane iucundo
est.
Mercurius: (parva voce) Semper mulierarius es. (magna voce)
Heu nos miseros, in summis angustiis sumus.
Omnia bona naufragio perdidimus. Erramus nunc
hoc in litore auxilium petitori.
Iuppiter : (Tulliolam spectans) Petimus modo vultum laetum,
sermonem suavem.
Mercurius: (parva voce) Cave, domine, hodie partes seduc-
toris agere non licet. In partibus falleris.
Iuppiter : (aures non praebens) Petimus modo parvulum oscu-
lum dulcissimum.
Paulus : Naufragus ille certe rebus adversis mente turba-
tus est. Magna misericordia moveor.
Tulliola : Ego quoque moveor.
Paulus : Salvete, domini, in magnam calamitatem incidis-
tis! Cum piscator pauper sim, vos libenter tecto
ac domo recipiam. Accumbite, quaeso! Tu, Tullio-
la, appone epulas!
Tulliola : Libenter pareo (exit).
Iuppiter : Gratias agimus vobis maximas.
Paulus : Mitte! Post cenam Tulliola vobis lectum bonum
sternet.

Iuppiter : Certe optime faciet.
Tulliola : (cenam apportans) Quaeso, nolite spernere istam
cenulam, domini!
Iuppiter : Cena abs te parata, Tulliola, vera ambrosia est.
Est enim cibus deis dignus.
Tulliola : Magno honore me afficis, domine.
Iuppiter : Maiore honore te afficiam, optima.
Mercurius: (Parva voce) Quod ceteri dei avertant! (magna
voce) Lydus, servus Galli, puer sane iucundus
est, nam nos huc adduxit.
Tulliola : Est alter puer in villa eadem, nomine Lucii,
puer iucundior quidem.
Mercurius: Vidimus tantum patrem, hominem pistrino dignum.
Paulus : Vere dicis, peregrine, nam iste matrimonium fi-
liae meae impedit; Tulliolae dotem conficere non
possum.
Mercurius: (ad Iovem) Locus tibi datus est, domine, ut hanc
mortalem praemio afficeres.
Iuppiter : Sine me! (ad Tulliolam) Quisnam hic est adules-
cens? Estne pius, sedulus, pulcher, doctus?
Tulliola : Est puer perfectus.
Mercurius: Igitur est puer Tulliolā dignus.
Iuppiter : Id pro certo affirmare non possum.
Tulliola : Quid ais? Cur Lucio meo diffidis? Esne verus
naufragus?
Iuppiter : Sum...
Mercurius: Sumus philosophi.
Paulus : Philosophine estis?
Mercurius: Haud erras, optime; cogitamus, ergo sumus.
Paulus : Quid ait?
Iuppiter : Garrit, quidquid in buccam venit.
(Lydus intrat, Lucius sequitur)
Lydus : Ecce, domine, naufragos a piscatore receptos.
Lucius : Salvete, domini!
Iuppiter et Mercurius: Salve, bone vir!
Lucius : Servus me certiore fecit de calamitate vestra
et de inhumanitate patris mei.
Iuppiter : Mitte, non iam damnum facimus. (parva voce) Puer
est non male factus, quamquam non deus. (magna
voce) Fortuna secunda utimur, optime; haec puel-

la exquisita nobis mensam epulis exquisitissimis exstruxit.

Lucius : Haec puella exquisita uxor mea erit.
Iuppiter : Erit, optime, si dei voluerint.
Lucius : Quid ille narrat?
Iuppiter : Cave, puer, pater tuus matrimonium hoc recusat. Puerorum autem est parentibus parēre.
Lucius : Quid audio?
Iuppiter : Bene audis, amice; Tulliola digna est marito dignissimo. Tu autem hic homo non es.
Lucius : Deliras, peregrine.
Paulus : Res olet. Peregrinus hic naufragus non est. Non modo mortalium loquitur. Timeo...
Iuppiter : Noli timere, piscator. Filiam tuam praecipuo honore habebō. Amore meo Tulliola ad caelum efferetur, immortalitate ornabitur...nam Iuppiter optimus maximus sum. (tonat)
Omnes : Ah! (genua flectunt)
Iuppiter : Ecce Mercurium deorum nuntium, mercatorum patronus.
Lucius : Atque furum! (iterum tonat)
Omnes : Ah!
Lucius : Vae misero mihi! Perii!
Tulliola : Facile credo, superi enim nobis obsunt.
(rursus tonat, apparet Iuno, matrimonii custos)
Iuno : Superi non obsunt. Ego hoc dico: Iuno, summa dea, regina caeli terraeque, matrimonii custos, uxor Iovis.
Omnes : Ah!
Mercurius: Cave, domine, mulier irata terribilis est. Animus praesagit mihi aliquid mali.
Iuppiter : (ad Iunonem) Salve corculum, salve melculum. Gaudeo te venisse salvam.
Iuno : Non gaudes, ocelle, doles. Ex caelo bene vidi te hanc puellam coluisse atque verborum illicebri irretisse.
Iuppiter : Eia, ne dixeris, carissima. Mala invidia flagras.
Iuno : Non invidia afficior, carissime, sed matrimonii usu triginta annorum. Te bene novi itemque nun-


tium tuum, Mercurium, famulum fidum domini adulteri.

Mercurius: Culpa non est mea, domina, erras.
Iuno : Numquam erro...vos autem abite rectā in caelum. Vos sequar omnibus rebus hic peractis. Dixi.
Iuppiter : Sequere me, Mercuri, non virorum est aures dare mulierum sermonibus. Non mea interest fovere sensus cuiusdam piscatoris filiae. Mihi Iovi, summo deo, magnus numerus reginarum, uxorū, principum, ducum, imperatorum libenter cesserunt, cedunt atque cedent. (exit, Mercurius sequitur)
Iuno : Fabulae! (ad omnes) Gaudete, mortales, nam benignitate mea malum aversum est! Surgite et accipite bonum nuntium! (omnes surgunt)
(ad Tulliolam) Lucio tuo nubere poteris.
Tulliola : Oh domina.
Iuno : (ad Lucium) Animum patris tui flectam.
Lucius : Oh magna dea.
Iuno : (ad Paulum) Divitem te faciam.
Paulus : Oh numen caelestum.
Iuno : Cape rete et iace!
Paulus : Pareo, domina. (exit)
Iuno : (ad Lydum) Quid cessas? Piscatorem adiuva!
Lydus : Obtempero, domina. (exit)
Iuno : Fac, ut pater tuus adveniat!
Lucius : Propero. (exit)
Iuno : (ad Tulliolam) Tu autem, filia mea, promitte te semper Lucium carum habituram esse!
Tulliola : Libenter promitto, domina.
Lydus : (rediens) Miraculum, miraculum, miraculum!
Paulus : (apportat rete nummis aureis impletum) Vix oculis credere possum. Non pisces, sed aurum cepi. Divites facti sumus.
Tulliola : Mi pater, mi pater, dea praesente omnia optata nobis contingunt.
Lucius : (intrat) Ecce me, patrem adduco.
Gallus : Quid me vultis? Cur huc adductus sum?
Tulliola : Iunonis benignitate ex pauperrimis divites facti sumus. Pater non iam pisces, sed nummos aureos cepit.

Gallus : Ha, laetissimus istud audio.
 Lucius : (ad Tulliolam) Oh mi oculo, o mi anime! Vicimus.
 Gallus : (aurum tangens) Nihil est, quod fieri non possit. Paulo piscator auro abundat. Tulliolam semper puellam lepidissimam habui. Nunc duo patres tibi sunt, carissima.
 Lydus : Secundum miraculum factum est.
 Lucius : Te vehementer rogo, pater, ut Lydum manu mittas, quo iuvante superos cognovimus.
 Gallus : Esto. Nebulo iste numquam mihi gaudio fuit.
 Lydus : Ego autem gaudiis exulto. Immaniter mihi bene est. (interim Iuno dea exiit)
 Tulliola : Ecce, dea iam e conspectu evolavit. In caelum reversa est. Spes me tenet Iovem non iam irasci.
 Lydus : Non tonat; ira eius sedata est.
 Lucius : Locus datus est laetitiae. Vos omnes voco domum patris. Apparatis epulis excipiemini, nam pater meus sane homo hospitalis est.
 Gallus : Ita, ita.
 Tulliola : Primo autem Iunoni deae cunctisque superis, imprimis Iovi optimo maximo, sacrificia faciamus. Decet probe immortalibus meritam gratiam referre. Saltemus in honorem immortalium.
 Paulus : Saltemus in honorem mortalium.
 Omnes : (ad spectatores) Saltemus in honorem vestrum.
 (Saltatio Graeca sequitur)

Barbara Maier

**Non licet hanc fabulam in scaenam producere nisi
 permissione auctricis!**



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
 (Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
 DATVM ALICVI
 Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
 (Ich abonniere RVMOR VARIVS für
 mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS
 c/o AKAD
 Postfach

8050 Zürich

Datum und Unterschrift

AZ

8050 Zürich

2/90

IDIBVS IVNIIS

MCMXC



RVMOR VARIVS

